In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo tricesimotertio, indictione prima, die decimaseptima mensis augusti, Pontificatus sanctissimi patris domini Johannis pape .xxij. Anno decimoseptimo. Constituti personaliter coram Reverendo in Christo patre et domino domino Petro dei gratia episcopo Amirapiscen[si] subdelegato in hac parte a Reverendissimo in Christo patre et domino domino Bertrando eadem gratia Ostien[si] et Velletren[si] episcopo, apostolice sedis Legato et Marchie Anconitane Rectore, ad infrascripta omnia et singula auctoritate apostolica specialiter deputato, providi viri Jeronimus Frederici, Vgolinus Pecoraty et Alexander domini Mathei de Firmo et magister Bonaventura magistri Morici de Fabriano et Johannes Georgii de Camerino(?) et Damianus domini Bonis(?) procuratores et syndici Comunium et universitatum Terrarum infrascriptarum et districtuum earundem, videlicet Firmani, Auximi, Urbinat., Esini, Fabriani, Terre Comitum, Terre Sancte [illegible] in Marchia Anconitana consistentium, ad infrascripta omnia et singula recognoscenda specialiter ordinati prout constat publicis instrumentis a me Notario infrascripto visis et lectis, syndicariis et procuratoriis nominibus antedictis, scientes quod Benevenuti(?) et Johannes Nicolai de Firmo et ipse idem Vgolinus Pecoraty procuratores et syndici eorum Comunium et universitatum Terrarum predictarum ea que ipsi syndici et procuratores recognoscere ponere petere promictere et iurare intendunt iam dudum nomine Comitatum et universitatum predictarum recognoverunt posuerunt petierunt promiserunt et iuraverunt coram sanctissimo patre et domino domino Johanne papa .xxij. predicto et sacro collegio predictorum Cardinalium, illa ex certa scientia ut satisfiat apostolicis litteris ipsi domino Legato directis repetentes et de novo ponentes recognoverunt et confessi fuerunt omnia et singula infrascripta. In primis quod Comunia et universitates predicte et singulares persone ipsorum ab eo tempore et citra continue quo assumptio domini Johannis pape .xxij. predicti ad apostolatum ad ipsos extitit divulgata firmiter crediderunt et credunt ipsum dominum Johannem fuisse et esse verum et unicum summum Pontificem sacrosancte Romane et universalis ecclesie et in Terris Christi vicarium ac ipsorum in spiritualibus et temporalibus dominum singularem et apud ipsum esse et fuisse apostolicam auctoritatem. Item cum dictus dominus papa contra Ludovicum de Bavaria qui se primo Regem et deinde Imperatorem nominavit processit et ipsum reprobaverit ac ipsi ut tali obediri vel ipsum pro tali haberi sive nominari ante ingressum dicti Ludovici in Lombardiam duxerit prohibendum, non crediderunt ipsi Comunia et universitates nec singulares persone ipsorum hiis temporibus quibus idem Ludovicus Lombardiam intravit vel quibus moram traxit in ea aut quibus fuit absens ab ipsa et ut Regi Romanorum fore obediendum vel favendum vel ipsum pro Rege Romanorum habendum vel nominandum. Item cum dictus Ludovicus post processus reprobationem et prohibicionem predictos et nonnullos alios processus etiam per dominum nostrum papam factos contra ipsum sine auctoritate dicti domini pape se in Regem et Imperatorem Romanorum coronari fecerit et Romanum Imperium invaserit, non crediderunt nec credunt eundem Ludovicum fore verum Regem vel Imperatorem Romanorum aut ipsi ut tali obediendum vel favendum aut ipsum pro Romanorum Imperatore habendum seu nominandum. Item non crediderunt neque credunt fratrem Petrum de Corbario qui beati Petri sedem invasit et se papam falso nominavit fuisse vel esse Romanum pontificem seu papam aut ipsum pro Romano Pontifice habendum seu nominandum. Item non crediderunt neque credunt ordinatos in episcopos vel Cardinales vel promotos ad aliquas ecclesiasticas dignitates vel ordines aliquos aut legationis officium vel aliqua officia seu beneficia quocumque nomine censeantur per fratrem Petrum predictum vel alium in vel alicuius commissionis ipsius fore veros episcopos aut veros Cardinales vel veram promotionem vel verum legationis officium seu verum titulum dignitatis vel beneficii sive officii habentes aut promotos ad ipsos ordines fore vere promotos saltem quo ad effectum vel executionem, sed hec omnia falsa et vana et nullam iuris subsistentiam habentia reputaverunt et reputant. Item dixerunt et posuerunt procuratores et syndici supradicti quod Comunia et universitates predicte et ipsorum singulares persone omnibus temporibus supradictis et per ipsa tenuerunt et ante fidem catholicam et unam sanctam et apostolicam ecclesiam firmiter crediderunt nec erroribus alicui heretica crediderunt nec dictis temporibus vel ipsorum aliquo aliquid dixerunt vel egerunt intendentes revera deviare a fide predicta. Confessi fuerunt neque procuratores et syndici supradicti quod fratrem Petrum de Corbario supradictum nominaverunt papam simulate tamen ipsius Antecardinalem et Antilegatum Cardinalem et Legatum nominaverunt et receperunt aliquos Antiepiscopos episcopos et aliquos officiales et ministros eiusdem et promotos per ipsum, et Johannem de Claromonte Antimarchionem Marchionem nominaverunt et receperunt ficte tamen et alios nuncios dampnati Bavari supradicti vel inugatoria et ficta et falsa auctoritate ipsius et dicti fratris Petri ut tales nominaverunt et ipsis ut talibus simulate crediderunt et Antipapam et eorum litteras ut talium receperunt et ipsis ut talibus scripserunt et ipsorum litteris et inugatoria ficta et falsa auctoritate usi sunt. Hec tamen omnia que fecerunt vel ipsis scientibus facta sunt fecerunt et passi sunt simulate ac propter metum inimicorum suorum et ut ipsis inimicis possent resistere, non credentes ea fore licita sed prorsus illicita et nephanda. Confessi fuerunt insuper procuratores et syndici supradicti quod plures exercitus cavalcatas et conflictus fecerunt contra Terras et fideles dicti domini pape et sancte matris ecclesie tamquam contra eorum emulos et notorie inimicos cum Terrarum captionibus personarum occisionibus et rerum dictarum Terrarum et personarum captionibus afflictionibus gravium dampnorum et atrocium iniuriarum illationibus et plura alia hiis similia commiserunt et fecerunt contra mandata dicti domini pape et sancte matris ecclesie et Rectoris provincie Marchie Anconitane predicte. Que omnia et singula cordialiter penitent eos fecisse perpetrasse et amare dolent talia commisisse, recognoscentes in predictis suas culpas et iniquitates enormes. Denique confessi fuerunt procuratores et syndici supradicti quod multis mandatis prohibicionibus processibus et sententiis apostolica ac legationis sive ordinaria auctoritate contra ipsos Comunia et universitates ac singulares personas eorum factis et latis non paruerunt temporibus supradictis et interdictum seu interdicta in ipsis Terris et districtibus eorundem quamvis auctoritate prelata aliquibus temporibus non servaverunt. Confessi etiam fuerunt procuratores et syndici supradicti nominibus quibus supra quod constituentes predicti crediderunt et confessi fuerunt et credunt et confitentur omnes articulos fidei quos sancta mater ecclesia tenet, confitetur et docet et predicat, et dixerunt et promiserunt quod Comunia et universitates et homines dictarum Terrarum non receptabunt supradictum dampnatum Bavarum eius nuncios vel aliquem dominum vel eius officialem vel familiarem cuiuscumque tituli dignitatis preminentie status conditionis vel nominis sit, nec aliquos stipendiarios vel gentes suas nec alicui rebelli ecclesie singulari vel universitati dabunt auxilium consilium vel favorem publice vel occulte sed pro posse eis resistent et eos persequentur et impugnabunt. Cum itaque propter premissa vel aliqua ex eis et dependentia ex ipsis dicant Comunia et universitates supradictos et singulares personas ipsorum ac eos qui dederunt auxilium consilium vel favorem vel qualitercumque communicaverint cum ipsis vel eorum aliquo in premissis vel aliquo premissorum privationum privilegiorum apostolicorum et imperialium meri et mixti imperii iurisdictionum ac iurium dignitatum personatuum officiorum beneficiorum ac bonorum ecclesiasticorum et temporalium excommunicationum suspensionum interdictorum necnon infamiarum inhabilitatum irregularitatum et exclusionis a mercadis et comerciis et actibus legitimis et nonnullas penas tam a iure et constitutionibus provincialibus et synodalibus quam ab homine et per processus et sententias apostolica legationis ordinaria et Inquisitorum heretice pravitatis auctoritate generaliter vel specialiter factos atque prolatos incurrisse et ipsis penis predictos esse irretitos et nonnullas de bonis et iuribus supradictis concessiones etiam perpetuas et ex certa scientia aliis fore factas, quorum processuum et sententiarum ignorant tenores, supplicatur humiliter procuratores et syndici supradicti domino episcopo Amirapiscen[si] quatinus inspectis antiquis fructibus Romane ecclesie impensis et dante domino imposterum impendendis per ipsas Terras et dampnis receptis ex devotione et causa predicte et destructione ipsarum Terrarum dignetur dictus dominus Amirapiscen[sis] episcopus auctoritate sibi in hac parte commissa misericorditer providere, ita quod constituentes ipsi inveniant gratiam in dicto domino papa domino Legato et domino episcopo Amirapiscen[si] nomine antedicto quam sperant in omnibus et singulis supradictis tamquam filii devium redeuntes ad misericordiam pii patris. Offerentes se paratos vice et nomine constituentium iurare stare et parere mandatis ecclesie et dicti domini pape et domini Legati prefati ac domini Amirapiscen[sis] episcopi supradicti et omne aliud iuramentum prestare quod ad obtinendum dicti domini pape gratiam et absolucionem ab omnibus et singulis supradictis fuerit necessarium vel etiam oportunum et omnem penitentiam atque penam portare quam dictus dominus Legatus auctoritate apostolica supradicta eis duxerit iniungendam. Premissis autem sicut premictitur recognitis confessatis propositis petitis et supplicatis per procuratores et syndicos supradictos, ipsi procuratores et syndici nomine quo supra promiserunt et in animas personarum eorum Comunium universitatum et hominum dictarum Terrarum iuraverunt ad sancta dei evangelia per eos corporaliter tacta eidem domino episcopo Amirapiscen[si] stipulanti et recipienti nominibus quibus supra quod Comunia et universitates et persone dictarum Terrarum stabunt et parebunt mandatis domini pape et ecclesie ac domini Legati et episcopi predictorum super commissis per eos et ipsos syndicos eorum nomine confessatis et non confessatis et aliis in procuratoriis et eorum syndicatibus contentis implicite vel explicite. Item quod nomine et in animas ipsorum dicti procuratores et syndici promiserunt et iuraverunt eidem domino episcopo stipulanti et recipienti vice et nomine dicti domini pape et successorum ipsius domini pape canonice intrantium et ecclesie Romane predicte fidelitatem obedientiam et reverentiam sicut suo domino temporali. Item promiserunt et iuraverunt nomine quo supra in animas constituentium predictorum quod ipsi constituentes credunt quod non spectet ad Imperatorem papam deponere et alium facere, sed hoc eorum nomine hereticum et heresim dampnatam per ecclesiam reputavit et quatenus in dictis temporibus et syndicis fuit ipsi etiam procuratores et syndici dampnaverunt. Item promiserunt et iuraverunt quod supradicta per ipsos procuratores et syndicos dicto nomine confessata super quibus gratiam et misericordiam petierunt nomine antedicto numquam committent imposterum sed in fidelitate ac devotione manebunt ecclesie supradicte. Item nomine quo supra et in animas ipsorum constituentium promiserunt et iuraverunt procuratores et syndici supradicti quod ipsi constituentes non erunt cum Ludovico de Bavaria dampnato nec cum aliis hereticis et scismaticis nec cum eorum vel Petri de Corbario sequacibus per ecclesiam denotatis seu denotandis nec eis prestabunt consilium auxilium vel favorem in futurum directe vel indirecte publice vel occulte sicut ipsos fecisse confessi fuerunt procuratores et syndici supradicti nec alio modo, sed ecclesie ac dicto domino pape successoribusque suis canonice intrantibus devoti erunt perpetuo et fideles. Item iuraverunt et promiserunt quo supra nomine et in animas constituentium predictorum quod ipsi constituentes officiales et sequaces dicti Petri de Corbario per ecclesiam denotatos vel denotandos non recipient, scient siqui sint vel fuerint in Terris que ipsorum dominio iurisdictioni et administrationi subiacent, sed eos abicient et persequentur nec eis favorem auxilium vel consilium dabunt quousque ad gratiam sint reversi vel nisi ad eos revocandos et reducendos ad eandem gratiam sine fraude. Item promiserunt et iuraverunt procuratores et syndici supradicti nomine quo supra et in animas ipsorum constituentium quod ipsi in Terris predictis vel districtibus eorundem non receptabunt prefatum Ludovicum vel eius stipendiarios nec aliquos alios qui venirent sub nomine Imperatoris Romanorum vel Regis seu alterius tituli pro eis vel eorum altero contra mandata domini pape et ecclesie predictorum successorumque suorum canonice intrantium nec pro eis vel aliquo eorum mictent nec per se vel alios publice vel occulte eis vel eorum alicui prestabunt auxilium consilium vel favorem, sed erunt stabunt et persequentur in rebellione ipsius Ludovici cuiusque stipendiariorum et aliorum qui venirent sub nomine Imperatoris vel Regis Romanorum vel alicuius tituli pro eis vel eorum aliquo contra mandata dicti domini pape et ecclesie memorate. Item promiserunt et iuraverunt procuratores et syndici supradicti nomine quo supra et in animas dictorum constituentium quod ipsi de Terris seu locis que ipsorum iurisdictioni et administrationi subiacent vel subiacebunt universos hereticos ab ecclesia denotatos vel denotandos expellere ac exterminare iuxta posse curabunt. Item nomine et in animas dictorum constituentium promiserunt et iuraverunt syndici supradicti quod ipsi constituentes obligationem coniurationem confederationem seu ligam non facient cum Ludovico predicto nec cum aliis per dominum nostrum papam et ecclesiam memoratam dampnatis et factam cum effectu abicient et dimictent, et ipsi etiam procuratores et syndici dicto nomine dimiserunt. Item nomine et in animas dictorum constituentium promiserunt et iuraverunt procuratores et syndici supradicti quod ipsi constituentes universos et singulos clericos et laycos beneficia vel officia ecclesiastica vel mundana occupantes titulo Ludovici vel Petri predictorum vel alterius ipsorum ab ipsis seu ipsorum altero auctoritatem habente in Terris et locis ubi potestatem habent vel habebunt pro viribus cohercebunt ad eadem beneficia et officia dimictenda. Item in animas dictorum constituentium promiserunt et iuraverunt dicti procuratores et syndici quod nullo titulo honoris vel administrationis dominii vel officii ecclesiastici vel mundani per Ludovicum vel Petrum eis dato utentur sed illum dimictent, et ipsi idem procuratores et syndici dicto nomine sique haberent dimiserunt. Item quibus supra nominibus et in animas dictorum constituentium promiserunt et iuraverunt procuratores et syndici supradicti quod ipsi constituentes recipient et curialiter tractabunt nuncios et gentes dicti domini pape et sancte Romane ecclesie et domini Legati transeuntes per Terras et districtus predictos ipsosque defendent et protegent dummodo ipsis scientibus sicut alii transeant sine fraude. Item dicti procuratores et syndici promiserunt et iuraverunt nomine quo supra et in animas dictorum constituentium quod ipsi constituentes omnes et singulos clericos et laycos qui pro domino papa et Romana ecclesia predictis de Terris et districtibus supradictis exstitit extrinseci reintrare Terras et districtus predictos et gaudere bonis suis libere permictent. Et insuper prelatos episcopos Abbates priores prepositos decanos Archidiaconos Archipresbiteros presbiteros clericos regulares et seculares ecclesias et ecclesiasticas personas et etiam laycos extrinsecos de dictis Terris gaudere quantum in eis fuerit permictent nec impedient quominus ipsi gaudere possint omnibus bonis libertatibus redditibus proventibus iuribus et conventionibus suis in Civitatibus et districtibus supradictis et aliis Terris et locis eorum iurisdictioni seu administrationi subiectis, nec impedientibus eis in premissis vel aliquo premissorum prestabunt directe vel indirecte publice vel occulte auxilium consilium vel favorem, ipsosque reintrare permictent Terras et districtus predictos. Promiserunt insuper dicti procuratores et syndici nomine quo supra sub pena viginti milium Marcharum argenti pro qualibet Terrarum predictarum ac Comunibus et universitatibus earundem domino pape et ecclesie Romane predicte applicandarum dandarum et solvendarum totiens quotiens contra premissa vel aliquid premissorum per ipsos aliquid factum existeret vel etiam attemptatum, eos observaturos et completuros premissa et singula eorundem ac mandatis et preceptis domini pape et ecclesie ac Legati et episcopi predictorum humiliter et efficaciter super hiis parituros. Quam penam viginti milium Marcharum argenti dicto domino pape et eidem Romane ecclesie applicandarum dandarum et solvendarum totiens quotiens contra premissa vel aliquid premissorum per Comunia et universitates predictas aliquid factum fuerit ut premictitur vel etiam attemptatum, dicti procuratores et syndici dicto nomine promiserunt et ad eam Comunia et universitates predictas solempniter obligaverunt eidem domino Amirapiscen[si] episcopo stipulanti et recipienti vice et nomine quibus supra. Post que predicti procuratores et syndici syndicariis et procuratoriis nominibus quibus supra petierunt humiliter et instanter se recipi per ipsum dominum episcopum Amirapiscen[sem] auctoritate sibi commissa ad gratiam obedientiam et reconciliationem dicti domini nostri pape et ecclesie memorate. Petierunt quoque humiliter et devote nominibus quibus supra procuratores et syndici supradicti provideri Comunibus et universitatibus ac personis dictarum Terrarum per dictum dominum episcopum eadem auctoritate de beneficio absolutionis ab omnibus processibus penis et sententiis quos et quas propter predicta recognita et confessata premissa et iurata per ipsos procuratores et syndicos coram dicto domino episcopo latis seu promulgatis ab homine vel a iure incurrerint. Petierunt insuper nominibus quibus supra humiliter et instanter se dicto nomine et dicta Comunia universitates et personas dictarum Terrarum auctoritate predicta integraliter restitui ad privilegia honores status dignitates bona et iura quecumque quibus per dictum dominum papam vel eius auctoritate fuissent premissorum ratione privati. Petierunt quoque dicti procuratores et syndici quibus supra nominibus et humiliter et devote etiam postulaverunt relaxari eadem auctoritate per dictum dominum episcopum interdicta in ipsis Terris et districtibus eorundem per dictum dominum papam vel eius auctoritate vel quamvis alia auctoritate prelata. Et supplicaverunt humiliter et devote provideri per eundem dominum episcopum auctoritate predicta super absolutione et restitutione personarum singularium Comunium et universitatum dictarum Terrarum que absolutione vel restitutione propter aliqua de predictis causis indigeret. Et obtulerunt se quibus supra nominibus promptos et paratos ad recipiendum humiliter et devote penas et penitentias quas idem dominus Legatus dictis Comunibus universitatibus et personis dictarum Terrarum vellet iniungere vel infligere pro premissis. Et generaliter obtulerunt se quibus supra nominibus promptos et paratos ad premissa et ad omnia alia et singula iuranda promictenda recognoscenda confitenda et facienda que necessaria utilia vel oportuna existerent in predictis omnibus et circa predicta et singula premissorum. Pro quibus omnibus et singulis adimplendis et firmiter observandis dicti procuratores et syndici procuratoriis et syndicariis nominibus antedictis dicta Comunia universitates et personas dictarum Terrarum et eorum bona presentia et futura eidem domino episcopo stipulanti et recipienti vice et nomine dicti domini pape et sancte Romane ecclesie obligaverunt solempniter et expresse. Prefatus vero dominus episcopus Amirapiscen[sis] dictis recognitionibus confessionibus petitionibus et supplicationibus plenius intellectis et promissionibus et iuramentis ut prefertur receptis vice et auctoritate dicta, volens in predictis misericorditer se habere, prefatos procuratores et syndicos dictarum Terrarum procuratoriis et syndicariis nominibus supradictis et eorum propriis nominibus et ipsos Comunia et universitates ac personas dictarum Terrarum et districtuum eorundem auctoritate predicta ad gratiam obedientiam et reconciliationem dicti domini nostri pape et ecclesie predicte gratiose recepit, ipsosque procuratores et syndicos nominibus antedictis et ipsa Comunia universitates et personas eadem auctoritate ab omnibus processibus penis et sententiis quos et quas propter predicta recognita et confessata coram dicto domino episcopo per procuratores et syndicos memoratos habitis latis seu promulgatis ab homine vel a iure incurrerint absolvit, preterquam propter heresim vel factum heresis siquos vel siquas incurrissent, ipsosque Comunia universitates et personas dictarum Terrarum et districtuum eorundem et memoratos eorum syndicos et procuratores pro eis restituit in integrum ad privilegia status honores dignitates bona et iura quecumque quibus per dictum dominum papam vel eius auctoritate fuissent premissorum ratione privati. Interdicta vero in dictis Terris eorumque districtibus per dictum dominum papam vel eius auctoritate vel quamvis alia auctoritate prelata predicta auctoritate gratiose etiam relaxavit abstulit et amovit, reservata et retenta libera potestate ipsi domino Legato quod eisdem Comunitatibus universitatibus et singularibus personis eorundem semel et pluries pro supradictis excessibus atque culpis et eorum singulis idem dominus noster Legatus prout sibi videbitur imponat penas et penitentias iniungat, quam potestatem dictus dominus Legatus sibi retinuit ac etiam reservavit prout in ipsius commissionis litteris continetur. Ad quas penas et penitentias humiliter recipiendas et effectualiter adimplendas(?) se et dicta Comunia universitates et eorum personas solempniter obligarunt. Adiecto preterea specialiter et expresse per ipsum dominum episcopum prout in dictis litteris apostolicis est adiectum quod si ipsi Comunia et universitates dictarum Terrarum premissa vel aliquid premissorum que prefati procuratores et syndici dicto nomine coram dicto domino episcopo stipulante et recipiente vice et nomine domini pape et ecclesie [illegible] promiserunt et iuraverunt complere obmicteret vel contra ea venirent vel attemptarent scienter, in eosdem processus penas et sententias recidant ipso facto dicteque Terre cum districtibus eorundem interdicto subiaceant ecclesiastico sicut prius, recognitionibus omnibus tamen confessionibus obligationibus et iuramentis tam coram ipso domino papa et prefatis Cardinalibus necnon coram dicto domino episcopo factis ac penis premissis in suo robore permansuris. Que omnia et singula dicti procuratores et syndici cum suis(?) actionibus approbantes sponte et expresse ac voluntarie acceptaverunt. Preterea dictus dominus episcopus supplicationi facte de singularibus personis respondit quod si dicte singulares persone dictarum Terrarum et districtuum eorundem per seipsas vel procuratores suos ydoneos ad hoc specialiter constitutos absolutionem et restitutionem petierit ea forma qua debent paratus erit eisdem de absolutionis et restitutionis beneficio gratiose in quantum litterarum apostolicarum tenor patitur providere. De quibus omnibus et singulis idem dominus episcopus mandavit dicto et plura confici instrumenta publica per me. Actum Firmi in platea publica ante ecclesiam Cathedralem. Presentibus Reverendo in Christo patre domino Thomasio dei gratia episcopo Anconitano et venerabilibus et discretis viris domino Petro de Catalluita(?) legum doctore, sacrista [illegible] ecclesie de [illegible] Castren[si] diocesis, magistro Andrea de Mansio(?) iurisperito clerico Caturcen[si], fratre Grimaldo de Fagys de ordine fratrum minorum, fratre Francisco de Placentia eiusdem ordinis socio dicti fratris Grimaldi, fratre Gerardo(?) de Normac(?) ordinis predicatorum et fratre Geraldo de Garrigia eiusdem ordinis predicatorum sociis domini Amirapiscen[sis] episcopi supradicti, et Nobilibus viris Raymundo de Jenerto(?), Hugueto de Fagys domicellis Caturcen[sis] diocesis, Hugolino Gentilitii(?), [illegible] Colbuctulo(?) Masso(?) [illegible], Peritio Thomasii et Gentilucio Caleti de Monteulmi Firmane diocesis ac Meo Guinelli et Martino Marcioli de Florentia testibus ad premissa ac cleri et populi multitudine copiosa.

Et ego Nicolaus de Cicis(?) de Traiecto Gaietane diocesis publicus apostolica et Imperiali auctoritate Notarius predictis omnibus et singulis presens interfui eaque omnia et singula de mandato dicti domini episcopi Amirapiscen[sis] et ad requisitionem dictorum syndicorum scripsi et publicavi et in hanc publicam formam redegi meoque consueto signo signavi in testimonium premissorum.